

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Correctio ar
cum fonte primo

Multi homines et culpam confitentur
et humiles non sunt.
Nam multos nouimus
qui arguente nullo peccatores se esse confitentur.
Cum uero de culpa sua fuerint fortasse correpti,
patrocinium defensionis querunt
ne peccatores esse uideantur.

Et sequitur:
Indicia autem uere confessionis sunt
ut sicut quisque peccatorem se dicit,
ita id de se dicenti alteri non contradicit.

Et superbie uicium est
ut quod fateri de se quisque sua sponte dignatur,
hoc sibi dici ab aliis dedignatur.

Gregorius libro XXII. moralium
super illud Iob XXXI.: Si celauit in sinu meo.

Sed inter haec sciendum est quod
plerumque homines et culpas confitentur
et humiles non sunt.
Nam multos nouimus
qui arguente nullo peccatores se esse confitentur;
cum uero de culpa sua fuerint fortasse correpti,
defensionis patrocinium quaerunt,
ne peccatores esse uideantur.
Qui si tunc cum id sponte dicunt
peccatores se esse ueraci humilitate cognoscerent,
cum arguuntur ab aliis,
esse se quod confessi fuerant non negarent.
Qua in re indicia uerae confessionis sunt,
si cum quisque se peccatorem dicit,
id de se dicenti etiam alteri non contradicit.
Nam quia scriptum est:
Iustus in principio accusator est sui,
non magis peccator, sed iustus uideri appetit,
cum peccatorem se quisque nullo arguente confitetur,
sed confessionis ueritatem probat,
cum alter malum quod fecimus increpat.
Quod si superbe defendimus,
liquet quia peccatores nos ex nobis fecte dicebamus.
Vnde summopere curandum est
ut mala quae fecimus, et sponte fateamur,
et haec aliis arguentibus non negemus.
Superbiae quippe uitium est
ut quod de se fateri quisque quasi sua sponte dignatur,
hoc sibi dici ab aliis dedignatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 22.15
(CCSL 143A, M. Adriaen ed., pp.1115-16, ll.77-95).